



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 29. Varia decreta Facultatis Theologicæ Parisiensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

paratu & pompa, comitantibus eum Borg-
hesio Cardinale, ceterisque Proceribus.
Demum ad Papam folio suo insidentem
ductus, pro more dato pedum osculo
Regias mandati sibi commissi literas
eidem tradebat, quo federe jusso Mau-
ritius Bressius latino sermone legationis
hujus causam explicabat, fusius sinceram
demissamque Regis observantiam erga
suam Sanctitatem deprædicans, om-
nemque felicitatem eidem apprecans.
Huic Strozio Duce Pontificis nomine
respondente, Nivernius Dux rursus sese
ad summi Pontificis pedes prosternens
Apostolicam recepit benedictionem, una-
cum toto comitatu suo domum reversus.

Sæc. XVII.
A. C. 1608.

§. XXIX.

*Varia decreta Facultatis Theologicae
Parisiensis.*

Ineunte hoc anno Sacra Facultas Pa-
risiensis habito conventu die secunda
Januarii Officium Syndici, quo se Rol-
landus Hebertus abdicabat, Edmundo
Richerio contulit, qui statim decima
quinta ejusdem Mensis petiit, ut prima
Doctoratus laurea initiandi, quamvis
absentes, Parisiensibus articulis interpo-
sita etiam juramenti Religione subscri-
berent. Die autem prima Februarii
statutum est, ut numerus Baccalaureo-
rum

*Argentre
collect. judic.
tom. 2.*

Sæc. XVII. rum ex Ordinibus Fratrum Mendican-
 A. C. 1608. tium juxta Senatus & Academice de-
 creta redigeretur. Postea prima Octo-
 bris die rursus in Collegii Sorbonici
 Aula habebantur Facultatis comitia,
 in quibus agebatur de quodam libro,
 cui titulus: *epistola ad Patrem Villan-
 sium Jesuitam ex Collegio Bilhomensi*. Ig-
 tur Doctores illi, quibus hunc libellum
 discutiendi cura jam die decima quinta
 Septembris erat demandata, multas ex
 eo propositiones erroneas, maxime circa
 Confessionis Sacramentalis necessitatem,
 recitabant, quibus perpensis Facultas
 censuit, declaravitque, præfatum libel-
 lum sub pœnis gravibus populo esse in-
 terdicendum, utpote temerarium, scan-
 dalosum, catholicarum aurium offen-
 sivum, stylo hæretico conscriptum, va-
 riisque modis perniciosum, multos præ-
 terea continentem errores ab Ecclesia
 præsertim a Sacratissimo Concilio Tri-
 dentino damnatos & reprobatos, qui-
 bus incauti & simplices facile in hæ-
 resim induci & confessionem contemptam
 habere possent. Eadem facultas decla-
 ravit se nihil quidquam de authoris per-
 sona aut de illius fama velle detrahere,
 sed tantum prædictum libellum ita e-
 ditum sua censura perstringere.